



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quid sit diligere Deum ex tota anima, 13

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

CAPVT XIII.

Quid sit diligere Deum ex tota anima.

1. **D**iligendus es (Domine Iesu Christe, totius amoris plenitudo) ex tota anima, scilicet fideliter, sicut nos dilexisti; qui maluisti animam tuam separari à corpore, quam animas nostras separari à te. Qui enim diligit tota anima, non timet mortem; quia dilectio est condimentum dulcorans: nam nihil dulcius aut delectabilius amore. Sine amore omnia sunt insipida & amara: quæ autem sunt amara, quantumcumque sunt amara, fiunt dulcia amore, sicut sancti Patres in desertis probaverunt, utentes pro alimento herbis & arborum corticibus, sicco pane & aqua frigida; terra pro lecto, lapide pro cervicali, & cilicio pro vestimento: in quibus omnibus propter amorem tuum, saporem, & delectationem, & dulcedinem magnam sentiebant. Omnia namque gravia & difficilia verus amor facit facilia, & quasi nulla. Ideo sancti Martyres omnia tormentorum genera, tanquam dulcia, non solum patiebantur, sed etiam hilariter pro ardenti amore sustinebant. Labor namque non fatigat amorem, tormentum amorem non superat: amor quiete fit inquietior. Quiescit afflictio, quiescit tentatio: sed dilectio quiescere nescit; requies enim est ei inquietudo.

2. Qui hujus amoris gustu inebriatus fuerit, ad omne opus bonum hilarescit: dolet, & non sentit: laborat, & non lassatur: deridetur, nec advertit. Amorem animæ thesau-
rus

rus nullus superat. Nescit enim homo precium ejus: quia omne aurum in comparatione amoris, arena est exigua. Sine amore, dives pauper est: & cum illo, pauper dives est. Quia qui Deum tota anima amat & diligit, jam habet quem amat. Nec eum vere diligere posset, si eum quem diligit, non haberet. Amorem tuum, Domine, alienus amor non occupat, nec ei commiscetur; quia non possunt commisci vera vanis, caelestia caducis; spiritualia corporalibus, summa imis.

3. O clementissime Domine Iesu Christe, incomprehensibilis dilectionis author & infusor, ego miserimus peccator omni iniquitate plenus, te non dilexi ex tota anima mea; imo, quod damnabilius mihi est, tuo amore spreto & derelicto, amorem meum posui in mundanis, vanis, & noxiis damnabilibusque rebus. Et sic iste miserabilis amor ducet me ad odium tuum perpetuum; nisi infinita tua misericordia, infinitus amor tuus, adjuvare me dignetur. Augeatur igitur in me tuus gloriosus amor, qui me trahat ad te, relicto isto transitorio amore, ut in tua dilectione perpetuo valeam manere, Amen.

C A P V T XIV.

Quid sit diligere Deum ex tota mente.

1. **P**lissime Domine Iesu Christe, totius exaltatio amoris, diligere te debemus ex tota mente; scilicet memoranter, perpetuo, ac perseveranter; ut omnes sensus hominis, scilicet voluntas, intellectus, memoria,